

tionis terminum possit iudex alium assignare etiam altera parte invita, dubitare posset? Dicendum tamen cum Speculatore tit. *de Dilationibus*. § *Non videmus*. n. 5; Mascardo. *de Prolationibus*. concl. 1236, n. 4 et 11, ac seqq., et communiori aliorum, nonnullis, tamen exceptis, posse id fieri per iudicem ex causa legitima, si res sit adhuc integra prout erat tempore assignati prioris termini, et jus adversarii non sit factum deterius. Atque hoc probatur ex c. *Cum cessante*. 60, *de Appellat.*, et l. *Quod jussit*. ff. *de Re judicat.*, ubi iudex potest suam sententiam interlocutoriam ex causa rationabili revocare. Concordat textus in l. *Mancipiorum*. ff. *de Optione legat.*, ubi legatarius optionis termino ad eligendum sibi prefixo, et jam elapso, adhuc eligere potest, dummodo res sit adhuc integra, et nullum exinde damnum hæres sit subiturus. Concordat dicenda inferius tit. XIV, *de Dolo et contumacia*, § 2, n. 68, et seqq.

77. *Dilationis effectus primarius est, quod ea pendente conquiescat officium iudicis.* — Quæritur II. Qui sint effectus dilationum? Resp. I. Primarius ac principalis effectus dilationis est, quod ea pendente, seu durante, officium iudicis conquiescat; nihilque sit agendum, vel innovandum quoad articulum, aut capitulum illud, super quo dilatio data fuit, donec concessa dilationis tempora defluerint, text. clar. l. *Sive pars*. C. *de Dilatione*. Adeo quidem, ut si quid innovatum fuerit, ipso jure sit nullum. Vallensis h. t. § 4, n. 4.

78. *Limitatur hoc.* — Cæterum super alio articulo, super quo non fuit petita dilatio, officium iudicis non conquiescit, ac proinde super illo non prohibetur iudex procedere. Pirhing h. t. n. 23. Quin etiam, posse iudicem pendente dilatione sese intromittere in favorem ejus, qui ipsam impetravit, notat Vallensis, loc. cit. n. 4, addens, quod pari modo suspectus de fuga pendente dilatione capi valeat.

79. *Alius dilationis effectus.* — Resp. II. Alter dilationis effectus est, quod quando terminus ipsius advenerit, regulariter habeat vim sententiæ interlocutoriæ, ac perimat actum, qui in assignato dilationis termino fieri debuit: adeo, ut pars postea primum comparens amplius super eadem re, nisi ex magna causa, audiri non debeat. Ita desumitur ex cap. 1, et ult. ff. *de Feriis*, et l. *Sci-re oportet*. § *Consequens*. ff. *de Excusatione tutor.*, ubi elapso termino quinquaginta dierum qui datur tutori ad se excusandum, ipse am-

plius non auditur: et si secus fiat, non liberatur. Accedit ratio, quia cessante justa causa, in civilibus non nisi unica conceditur dilatio probatoria, ut dictum supra n. 48.

80. *Tempora dilationum sunt continua.* — His addendum, quod tempora dilationum omnium sint continua; et proinde in ipsis computentur dies tum feriati, imo etiam feriæ repentinæ, l. *Sive pars*. c. h. t. Quamvis propter ferias repentinæ, puta, ob res prospere gestas, vel in honorem principis extraordinarie indictas, si quis læditur, restitutio tot dierum concedatur, quot intercesserunt feriæ repentinæ, l. *Sed et si*. § *Si feriæ*, ff. *Ex quibus causis majores*, etc. Et merito, quia tales ferias, utpote repentinæ, nemo prævidere poterat: bene tamen solemnes de quibus proinde ratio haberi non debet, prout ibidem notatur.

81. *Dilatio absentis concessa non currit, nisi a die intimationis.* — Cæterum, si dilatio concessa fuerit absentis, hæc ipsi non currit, nisi a die intimationis: simulque dies illa, qua intimatur, non est computanda. Maranta, part. VI *Speculi aurei*, tit. *de Dilatione*, n. 14 citans Bartolum, et Alexandrum in l. *Labeo*. in fin. ff. *de Jurejurand.*, Pirhing h. t., n. 19, et alii.

## TITULUS IX.

### De Feriis.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Viso de dilationibus in quibus conquiescit officium iudicis, l. *Sive pars*. C. *de Dilatione*, cum hoc ipsum contingat in feriis, merito subjungitur præsens rubrica: eoque magis, quia ipsæmet feriæ sunt quædam dilationes, saltem largo modo; ut inquit Glossa ad rubricam h. t.

2. *Feriæ, et dilationes, in quo differant.* — Dicitur, «saltem largo modo.» Nam negari non potest, quin sit aliqua differentia inter dilationes et ferias. Dilationes siquidem dantur ad utilitatem partium litigantium, et quidem plerumque ad instantiam ipsarum, ut sese melius instruere, aut jus suum explicare valeant: econtra feriæ vel ob honorem rei, vel ob bonum publicum principaliter instituuntur. Accedit, quod dilationes communiter, juxta exigentiam causarum, concedantur

judicis arbitrio at feriæ sunt stabiles et determinatæ. Et hinc Abbas ad rubric. h. t. non immerito negat ferias esse proprie dilationes juris: hæ enim dantur ad aliquid explicandum; feriæ autem, ut homines quiescant, prout magis in progressu dicetur.

### § I.

#### DE DIVISIONE FERIARUM; UBI PLURA DE FERIIS SACRIS.

3. *Feriæ, quid, et unde sic dicantur?* — Quæritur I. Quid, et quot sint species feriarum? Resp. I. *Feriæ*, quantum attinet ad propositum, dicuntur dies illi, quibus vacatur, sive cessatur ab actibus judicialibus; ut l. *Pridie*, et l. *Si feriatis*, ff. *de Feriis*, et l. *Omnes*. C. eod. addendo juxta sacros canones, et quantum ad ferias sacras, abstinentiam ab operibus servilibus, et mercatu. Et dicuntur *Feriæ* a feriendo: quia antiquitus diebus feriatis mactabantur, sive feriebantur hostiæ solemnes: vel potius a feriendo hoc est, cessando, quatenus illis diebus veteres cessabant, sive abstinebant a strepitu judiciali. Qua de causa feriæ etiam appellabantur *Justitium*, eo quod jus, sive iudicium, tunc staret, nec progrediretur. Vallensis h. t. n. 2.

4. *Alia earum acceptio refertur.* — Additur, antem «Feriæ quantum ad propositum.» Si quidem Ecclesia in alio adhuc sensu accipit ferias, videlicet pro quolibet die hebdomadæ: in qua acceptione dies Dominicus dicitur feria prima, dies Lunæ, feria secunda; et sic deinceps. Unde S. Sylvester papa (ut legitur in Breviario Romano die 31 decembris) «Sabbati et Dominici diei retento nomine, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, ut jam antea in Ecclesia vocari cœperant, appellari voluit: quo significaretur, quotidie clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere.» Verum loquendo de feriis in priori acceptione.

5. *Feriarum tres sunt species.* — Resp. II. Feriarum tres sunt species, videlicet feriæ sacræ, rusticæ, et repentinæ. Ita Speculator h. t. § 1, n. 4; Abbas, in c. *Conquestus*, n. 8, et Fagnanus ibid. n. 35, h. t., et probatur inductione. Si quidem

6. *Feriæ sacræ, sive solemnes.* — Feriæ sacræ, sive solemnes dicuntur eæ, quæ ob reverentiam et cultum Dei principaliter sunt institutæ: ut dies Dominicus, natales Domini, sancti Stephani et aliorum sanctorum, de

quibus fit mentio in cap. 1 et ult. h. t., ac præsertim in Bulla Urbani VIII, quæ incipit, *Universa* (et habetur tom. IV *Bullarum Romani*, constit. 164 dicti pontificis) in qua singillatim referuntur atque specificantur omnes feriæ sacræ, seu festa de præcepto totius Ecclesiæ.

7. *Feriæ rusticæ, seu necessariæ.* — Feriæ rusticæ, (quæ etiam *necessariæ* vocantur) illæ sunt, quæ ob necessitates hominum, præsertim ruri laborantium, instituuntur: uti sunt feriæ messium atque vindemiarum; de quibus fit mentio in cap. ult. § fin. h. t.; et l. I, ff. eod. Item feriæ æstivis caloribus mitigandis destinatæ, l. *Omnes dies*. C. h. t. Et hæc alio nomine appellantur *necessariæ*, utpote communibus necessitatibus hominum sublevandis destinatæ.

8. *Harumque indictio.* — Porro tempus rusticarum feriarum non est determinatum a lege, vel canone; cum alicubi citius, alibi tardius fiat collectio fructuum, utpote qui citius maturescunt, et colliguntur in locis calidis, quam frigidis. Proinde harum feriarum indictio sive determinatio temporis ipsarum, relinquitur iudicibus: ita tamen, ut eas indicantur bis in anno, secundum qualitatem et consuetudinem cujuslibet loci, l. *Præsides*. ff. h. t.

9. *Et quibus prosint.* — Infertur proinde, quod extra tale tempus, quamvis nonnemo fructus actualiter colligat, ipsi non suffragentur feriæ rusticæ, quominus in jus vocari possit: quia necesse est, ut feriæ hæc a iudice indicantur. Postquam vero eæ semel indictæ sunt, prosunt non solum rusticis, aut ruri laborantibus, sed etiam militibus, clericis, et aliis etiam ruri nequiquam laborantibus, qui proin in jus vocati poterunt allegare exceptionem feriarum. Et merito: quia, licet tales personaliter in messibus atque vindemiis non occupentur, sicque respectu horum videatur cessare ratio legis, seu quæ in l. I, ff. h. t. affertur illis verbis: «Quia occupati circa rem rusticam, in forum venire compellendi non sunt,» tamen hæc non fuit causa finalis circa ipsum vocatum, sed impulsiva solum. Accedit quod saltem advocatos, vel testes, quandoque contingat tunc occupari circa rem rusticam; et quia hi idcirco non possent tam facile haberi subintrat dicta ratio legis Glossa in cit. l. I, §. *Occupati*. ff. h. t. Alexander consil. 2, n. 6, lib. II, Fagnanus cit. c. *Conquestus*, n. 36 h. t.

10. *Ac feriæ repentinæ; et quid?* — Feriæ

repentinæ tandem dicuntur, quæ non ex certa et stabili lege constituuntur, sed extra consuetum ordinem repente ac subito indicuntur: prout fieri solet ob coronationem principis, aut ejus adventum, vel ob insignem victoriam ab hostibus reportatam, l. *Sed et si ferie*. ff. *Ex quibus causis majores*, etc. Item propter hostilitatem, vel grassantem publicam luem, aut similem causam extraordinariam. Et tales ferias repentinæ (ideo sic dictas, quia sunt incertæ, et repente indicuntur) solus princeps, non autem iudex auctoritate propria indicare potest, l. *A nullo*. c. h. t.

11. *Præceptum de feriis sacris, seu diebus festis observandis*. — Quæritur II. Quid sit censendum de feriis sacris, quæque earum obligatio? Resp. I. Inter quinque generalia Ecclesiæ præcepta, et cuius christiano scitu atque observatu necessaria, primum est de feriis sacris, seu diebus festis observandis: et communiter sequentibus verbis proponitur: « Statutos Ecclesiæ dies festos celebrato. » Atque de hoc frequenter fit mentio in jure canonico; ut can. *Nullus*, et seq. 13, q. 4, et can. 1, et seqq.; de *Consecr.* dist. 3, nec non toto præsentis tit. de *Feriis*.

12. *Extat potestas in Ecclesia instituendi festa de præcepto*. — Resp. II. Esse potestatem in Ecclesia instituendi festa de præcepto, de fide est: atque patet ex perpetua traditione et usu Ecclesiæ, a temporibus apostolorum, usque nunc continuato. Quinimo etiam episcopi respectu suarum diocesium cum consensu cleri, et saltem tacito populi, possunt instituere quædam festa; prout habetur in can. 1 de *Consecr.*, dist. III, et cap. ult. h. t., cum similibus. De facto tamen circa observationem festorum horumque institutionem, oportet attendere ad constitutionem 164 Urbani VII, quæ incipit *Universa*: ac refertur tom. IV *Bullarii Romani*. (ADNOTATIO XXXIX.)

13. *Hæc nequeunt indicare reges aliquæ principes sæculares*. — Cæterum reges et principes sæculares, civitates ac populi, nullam habent potestatem indicendi diem festum in honorem Dei et sanctorum, nisi ex auctoritate Papæ, vel episcopi diocæsani. Ratio est, quia actus præcipiendi, seu indicendi hujusmodi dies festos, utpote cultui divino principaliter consecratos, proprie est spiritualis, et ad religionem pertinens, Clem. un. de *Reliq. et venerat. Sanctor.* Atqui laicis nulla est attributa potestas de rebus spiritualibus sta-

tuendi, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, c. *Ecclesia sanctæ Mariæ. de Constitut.*, et cap. ult. de *Rebus Eccles. non alienand.*; Fagnanus in c. *Conquestus*, n. 59, et seqq. h. t. fuse hanc materiam examinans; Barbosa part. III. de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 103, n. 3, et alii communiter. (ADNOTATIO XL.)

14. *Quamvis possint statuere pœnam violantibus dies festos ab Ecclesia indictos*. — Non tamen ob hoc negatur, quin laici per statutum a se conditum possint pœnam infligere illis, qui violant dies festos ab Ecclesia institutos; tum quia violatio festorum est delictum mixti fori; prout declaravit sanctus Pius V in constitutione *Cum primum*. § 7, et habetur tom. II *Bullarii Romani*, constitut. 5 dicti Pontificis; tum quia officium catholicorum principum est, in adiutorium Ecclesiæ sacrarum constitutionum præcepta tueri, atque in earum violatores animadvertere, can. *Si in adiutorium*, dist. 10, et can. *Boni Principis*, dist. 96, juncto concilio Trident., sess. XXV, cap., xx, de *Reform.* Quamvis igitur princeps laicus in materia spirituali quid de novo absque auctoritate Ecclesiæ statuere nequeat, ob defectum jurisdictionis: potest nihilominus circa eam aliquid statuere fortificando jus commune, seu leges ecclesiasticas jam positas cum adiectione pœnæ. Glossa in Clem. *Ne Romani*. § 1. *¶. Tolli. de Elect.* Fagnanus loc. cit. n. 73; Felinus cap. 1, n. 13, de *Sponsalib.*, et alii.

15. *Episcopi possunt in suis diocæsis instituere festa de præcepto, etiam ab exemptis observanda*. Resp. III. Dies festi ab episcopis in sua diocæsi præcepti, servari debent ab omnibus, etiam exemptis ac regularibus. Ita expresse statuitur in concilio Trident., sess. XXV, cap. XII de *Regularibus*, ibi: « Dies etiam festi, quos in diocæsi sua servandos idem episcopus præcepit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur. »

16. *Præceptum de celebratione festorum partim est affirmativum, partim negativum*. — Resp. IV. Præceptum ecclesiasticum de celebratione festorum, partim est affirmativum, partim negativum. Ita Scotus in III, dist. 37, quæst. un. § *Ad quæstionem*; Guille. Verinx, part. III *Summæ theologiæ*, disp. 3. de *Festis*. n. 8, estque communis. Nam quatenus illud est affirmativum, præcipitur devota missæ auditio omnibus diebus festis: quatenus vero est negativum, præcipitur abstinètia ab operibus servilibus, et nonnullis

aliis, de quibus fit sermo cap. 1. h. t., ubi Pontifex « omnes dies dominicos (idem dicendum de festivis) a vespera in vesperam cum omni veneratione decernit observari, et ab omni illicito opere abstinere: ut in eis mercatus minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur, nec sacramenta (nisi pro pace, vel alia necessitate) præstentur. » Hæc ibi: etsi postmodum in cap. ult. eod. recte hoc limitetur: « Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat. »

17. *Dies festi quando incipere debeant?* — Resp. V. Quamvis in cit. cap. 1. h. t. dicatur, quod dies festi incipere debeant a vesperis præcedentis diei, et durare usque ad vesperras diei sequentis; idque in officio divino, seu recitatione Horarum canonicarum, etiamnum observetur: tamen, quantum attinet ad abstinentiam ab operibus servilibus aliisque supra enumeratis, rationabili et antiquæ locorum consuetudini standum est. Ita expresse habetur in c. *Quoniam* eod. Idem patet ex cap. ult. de *Consuetud.*, ubi generaliter dicitur, quod consuetudo rationabilis et legitime præscripta, deroget juri positivo humano.

18. *More Romano dies a media nocte incipit*. — Hinc ex usu Romanæ Ecclesiæ, qui per totam ferme Europam invaluit, solent incipere festa a media nocte, et terminari in sequenti media nocte, quantum affinet ad cessationem operum servilium. Et hæc quidem consuetudo ortum videtur traxisse ex more Romano, in cæteris negotiis observari solito; nam, ut in l. *More Romano*. ff. de *Feriis*, dicitur: « More Romano dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur: ita quidquid in iis viginti quatuor horis, id est, duabus dimidiatis noctibus, et luce media actum est, perinde est quasi qualibet hora lucis actum esset. » Hæc ibi. Concordat. c. *Consuluit*. 24. de *Offic. delegat.*

19. *Dies naturalis, et artificialis, quando incipiat?* — Quod si vero alicubi alia sit consuetudo ea pariter recte observatur, cit. cap. ult. de *Consuetud.*, cum concordantiis. Nam, ut notat Glossa I in cit. l. *More Romano*, diem naturalem (qui est viginti quatuor horarum, ac etiam noctem comprehendit) incœperunt Athenienses ab occasu, Babylonii ab ortu, et Arabes a meridie. Artificialis autem dies, seu quatenus a nocte secernitur, incipit ab ortu solis usque ad occasum, sive a mane usque ad vesperam; juxta illud Ge-

nesis 1, 5: *Et factum est vespere et mane, dies unus*. Concordat Hymnus ecclesiasticus, illis verbis: *Qui mane junctum vesperi, Diem vocari præcipis*; intelligendo hoc de die artificiali; nam de nocte illico subjungitur: *Illabitur tetrum chaos*. Glossa loc. cit. Fagnanus in cap. 1. n. 4, de *Treuga*; Layman lib. IV *Theolog. moral.*, tract. I, cap. 3, n. 1, et alii. (ADNOTATIO XLI.)

20. *Mercatus in feriis sacris est prohibitus*. — Quæritur III. An, et qualiter in feriis sacris prohibeatur mercatus? Resp. I. Certum est, quod diebus dominicis festivisque, prohibitum sit exercere mercatum. Textus est in cap. 1 h. t., supra n. 16 jam relatus. Idque merito ab Ecclesia fuit statutum, ut hac ratione eo magis mentes fidelium abstrahantur a rebus ac desideriis rerum mundanarum, eriganturque ad intelligenda et desideranda cœlestia debitasque Deo grates pro receptis innumeris beneficiis persolvendas. Mercatio quippe multum ab his abstrahit, estque periculosa, et inducens ad mendacia, fraudes aliaque peccata, can. *Ejiciens*, et can. *Quoniam*, dist. 88. Unde etiam Dominus vendentes et ementes e templo ejecit, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, *Matth.* XXI, 12, 13, dicens: *Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Congruum itaque fuit, ut dominicis festivisque diebus, utpote cultui divino specialiter deputatis, prohiberetur mercatus.

21. *Nomine prohibiti mercatus, quid intelligatur?* — Porro sub nomine prohibiti mercatus, intelliguntur publicæ nundinæ; item contractus emptionum et venditionum, locationum et conductionum, aliique hujusmodi, præsertim si longiore tempore indigeant, aut publice et cum solemnitate fiant. Navarrus cap. XIII *Manualis*, n. 8; Vallensis h. t. n. 12; Pirhing eod. n. 17, et alii. Huc adde decretum sac. Congregationis circa festorum observationem, quod post Quarantam in *Summa Bullarii*. *¶. Dies festi* refert Barbosa part. II de *Offic. et potest., episc.* allegat. 105, n. 40. ac inter alia sic loquitur: « Itaque rursum ibidem censuit, prætextu mercatum, nundinarum et feriarum festa nullatenus esse violanda. Cæterum his diebus libere sarcinas et onera nundinarum causa exonerare, incœptumque iter, missa tamen prius audita, prosequi: non autem sarcinas componere, et jumenta onerare ad iter de novo

accipiendum, aut merces quibuscumque etiam viatoribus et clausis apothecis vendere, nisi tantum ad victum necessaria, et alia minuscula, et modici momenti opiata confecta pro transeuntium hospitem, advenarum et externorum urgenti ac presentanea necessitate, et opportunitate, » etc. Hæc ibi.

22. *Alicubi diebus festis de consuetudine celebrantur nundinæ.* — Resp. II. Pluribus nihilominus in locis consuetudine receptum est, ut diebus festis nundinæ celebrantur, ob majorem populi commoditatem, ac præsertim rusticorum et pauperum, qui absque jactura mercedis diurnæ, qua maxime indigent, aliis diebus accedere nequeunt. Et quanquam Abbas in cap. I n. 5, h. t. post Hostiensem asserat, talem consuetudinem non excusare a peccato, cum sit prava: oppositum tamen passim tenent cæteri doctores. Siquidem observatio festorum: ac proinde etiam prohibitio mercatus in ipsis, est juris dumtaxat humani ecclesiastici, ut late docet Suarez lib. II. *de Religione*, cap. I, et sequitur Vallensis h. t., n. 12; Pirhing n. 18, estque communis. Atqui legi humanæ potest derogari per contrariam consuetudinem, rationabilem tamen (ut est præsens, ob rationem supra allegatam) ac legitime præscriptam, cap. ult. *de Consuetud.*

23. *Consuetudines tamen hujusmodi sunt moderandæ.* — Recte tamen monent doctores, ut Zoësius h. t., n. 12; et Layman lib. IV *Theolog. moral.*, tract. VII, cap. II, n. 6, hujusmodi consuetudines esse cavendas, ne imposterum introducantur, atque, ubi jam introductæ sunt, neququam extendendas sed quantum fieri potest moderandas: saltem in tantum, ut ejusmodi nundinæ atque negotiationes non fiant ante peractum officium divinum. (ADNOTATIO XLII.)

24. *De obligatione audiendi diebus festis missam, et abstinendi ab operibus servilibus.* — *Remissive.* — Alia, quæ concernunt obligationem audiendi missam, atque ab operibus servilibus in feriis sacris, fusius declaravi in *Theologia morali*, tract. X, distinct. 1 per totum. Ibi vidatur. (ADNOTATIONES XLIII et XLIV.)

## § II.

DE PLACITO, SEU PROCESSU JUDICIALI, EJUSQUE PROHIBITIONE DIEBUS FERIATIS.

25. *Placitum quid sit?* — Quæritur I. Quid sit placitum, et qualiter diebus feriatis pro-

hibeatur? Resp. I. Nomine *Placiti*, de quo fit mentio in cap. I h. t. aliqui intelligunt quamlibet causam forensis, ac strepitum judicalem, arg. can. *Placita*, XV, q. 4; ac proinde volunt, quod « prohiberi diebus feriatis placitum, idem sit, ac « prohiberi judicalem strepitum. » Nihilominus Abbas in cit. cap. I, n. 2, h. t.; Vallensis eod. n. 13; Pirhing n. 9, et plures alii, melius docent, quod nomine *Placiti* dumtaxat intelligatur judicium civile, seu strepitus forensis quoad causas civiles. Ratio hujus posterioris sententiæ est, quia in cit. cap. I h. t., de iudicio criminali fit specialis mentio, dum subjungitur: « Neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur. » Hæc enim verba superfluerent, si placitum quancumque causam etiam criminalem, significaret: ac proinde, ut differat a sequentibus, placitum intelligi debet de causis civilibus tantum. Hoc ipsum satis colligitur tum ex cap. ult. h. t. ponderando ly « judicialis strepitus, » quod est quid generalius, ac placitum. Tum etiam ex cit. can. *Placita*, 15, q. 4, eo quod ibi notanter dicatur, « Placita secularia » (hoc est, ut explicat Archidiaconus ibid. n. 1, de rebus sæcularibus) sicque sub ipsis causæ criminales non comprehendantur, sed hæc speciali indigeant mentione; ut fit in cit. cap. I h. t.

26. *Est prohibitum diebus feriatis, ac regulariter invalidus omnis actus contentiosæ jurisdictionis.* — Resp. I. Placitum sicut et processus criminalis, diebus feriatis est prohibitum: ita, quidem, ut omnibus feriis tam sacris, quam profanis, istud sit commune, quod earum tempore extra casus in jure permissos (de quibus in progressu) nullus in jus vocari possit, et vocatus venire non teneatur; neque ullus actus contentiosæ jurisdictionis in eisdem exerceri valeat, sed strepitus judicialis omnino conquiescere debeat: adeo, ut actus in contrarium gestus regulariter ipso jure sit invalidus. Ita Abbas in c. *Conquestus*, n. 1, et Fagnanus ibid. n. 1, et seqq. h. t.; Vallensis eod. n. 6; Gailus lib. I *Pract.* observat. 53, n. 7, et communis.

27. *Idque probatur ex jure.* — Conclusio hæc clare desumitur tum ex cap. I, et ult. h. t., tum etiam ex l. ff. eod., ubi statuitur, quod tempore messium atque vindemiarum, nemo compellatur in jus venire: et si iudex contra partem tunc absentem, et non comparentem sententiam tulerit, sententia ipsa nullius sit momenti, atque citra appellatio-

nem infirmetur: « Nec enim prætoris factum » juri derogari oportet, prout in cit. l. I. ff. h. t. subjungitur. Concordat textus in l. *Si feriatis*. ff. h. t., et l. II, C. eod., ubi non solum diebus Dominicis aliisque feriatis, jubetur abstinere ab omni strepitu actuque judiciali; verum etiam in posteriori loco additur: « Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur. »

28. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod allegata jura ex professo loquantur de feriis messium atque vindemiarum. Nam ob paritatem, imo et majoritatem rationis, recte id ipsum dicitur de feriis sacris, atque repentinis, utpote quibus ex consensu partium renuntiari nequit, sicuti aliis renuntiari potest. Quinimo in feriis introductis in honorem Dei et sanctorum (extra casum necessitatis, vel pietatis) non valere processum judicarium, nec sententiam hujusmodi diebus promulgatam, consentientibus etiam partibus, expresse statutum habetur in cit. cap. ult. h. t.

29. *Actus jurisdictionis voluntariæ possunt fieri diebus feriatis.* — Additur notanter primo in conclusione, « neque nullus actus contentiosæ jurisdictionis, » etc. Siquidem actus jurisdictionis voluntariæ, qui nimirum absque strepitu judiciali tantum in volentes exercentur, diebus etiam feriatis recte expediuntur; per textum in l. *Solet*. ff. h. t., ibi: « Liberalia quoque judicia omni tempore finiuntur. » Concordat textus in l. *Actus omnes*. c. eod., ubi licentia diebus feriatis emancipandi, et manumittendi, cunctis conceditur; et Baldus in *Summario* generaliter inquit: « Actus voluntariæ jurisdictionis possunt explicari quolibet tempore, etiam feriato. » Et hinc non solum emancipationes, et manumissiones, ut dictum, sed etiam dispensationes, adoptiones, pacta, transactiones, approbatio contractuum, designatio tutorum aut curatorum, creatio magistratum, et alii consimiles actus, diebus feriatis valide expediuntur. Siquidem contrarium non reperitur in jure expressum: quin potius ejusmodi actus tempore feriatis fieri posse, clare conceditur per jure proxime allegata, juncta l. *Eadem oratione*. ff. h. t., et l. ult. C. eod.

30. *Aliæ limitationes conclusionis.* — Additur ulterius in data n. 26 conclusione, « extra casus in jure permissos: » et infra, « regulariter est invalidus. » Fallit enim, si partes renuntient feriis, saltem rusticis: aut si necessitas, vel pietas aliud suadeat, prout

jure sic permittere fieri posse, magis patebit ex illico dicendis. Unde

31. *Feris sacris nequit renuntiari de consensu partium.* — Quæritur II. Utrum prædictis feriis de consensu partium possit renuntiari? Resp. I. Feris sacris, sicut et feriis repentinis nequit de consensu partium renuntiari; bene tamen feriis rusticis, messium videlicet ac vindemiarum. Ita Glossa in Clem. *Sæpe contingit*. §. *Ob necessitates. de Verb. signif.* Speculator h. t. § *Nunc videamus*. n. 1; Fagnanus in c. *Conquestus*, n. 7, ac seqq. h. t.; Vallensis cit. n. 6, et communis. Idque patet ex cit. c. *Conquestus*, sive cap. ult. h. t., ubi Pontifex declarat, non valere processum judicarium diebus ob reverentiam Dei feriatis, « consentientibus etiam partibus celebratum; » licet feriis gratia messium, vel vindemiarum introductis, partes renuntiare valeant. Et horum posterius etiam habetur in l. I et l. *Si feriatis*. ff. eod. Accedit ratio disparitatis: quia feriæ sacræ, utpote in honorem Dei institutæ, principaliter concernunt cultum divinum, cui partium consensu renuntiari nequit, non autem partium favorem, sicut feriæ rusticæ.

32. *Nec feriis repentinis.* — Atque ob hanc eandem rationem nequit a partibus renuntiari feriis repentinis, ob honorem principis, vel ob commune de parta victoria gaudium, a principe indictis: nam publicum potius, quam privatum partium favorem respiciunt, arg. l. *Omnes dies*. C. h. t., ubi idcirco dies feriarum repentinarum imperator appellat suos dies, ibi: « Nostris etiam diebus, » etc. Atqui pacto privatorum, nequit derogari favori, ac juri publico, c. *Si diligenti. de Foro compet.*, et l. *Jus publicum*. ff. *de Pactis*. Abbas in cap. I, n. 11, h. t. Glossa, Speculator, Fagnanus, ubi supra, et alii.

33. *Non obstante, quod simul importent favorem partium.* — Nec obstat, quod feriæ sacræ, sicut et repentinæ, simul importent favorem partium: eo quod priores etiam ob humanam quietem introductæ fuerint; posteriores autem simul in particulare cujusque gaudium redundant, faciantque, ne quis invitatus in iudicium trahi valeat. Non obstat, inquam, tum quia hujusmodi feriæ principaliter introductæ sunt illinc ob cultum divinum, hinc ob favorem publicum: atqui ex principali intento, seu primario fine, attendenda est quælibet dispositio, c. *Accessorium*. 42, *de Reg. jur.* in 6, cum similibus; tum quia non potest quis renuntiare favori, sibi et alteri individuo concesso, absque illius consensu,